



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 35. Bernardi Regis Italiae feditio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

**Sæculum IX.** bant. Istud Monasterium illorum in pri-  
**A. C. 818.** mis bono conditum creditur, qui perfe-  
 cutionem fugientes Romam recurre-  
 bant.

Pontifex huic Monasterio Reditus  
 sufficientes partim ex agris, partim ex  
 domibus contulit, Ecclesiam S. Praxedis  
 magnifice ornavit, & Ciborium seu Um-  
 braculum ex argento octingentarum li-  
 brarum super Altare obtulit.

## §. XXXV.

*Bernardi Regis Italiae seditio.*

**Eginh. an.** **I**nter hæc Bernardus Rex Italiae, indi-  
**817. 818.** gnans, quod Lotharius coronatus fuis-  
 set Imperator, a Ludovico Imperatore  
**Astronom.** Patruo suo deficere ausus est. Cum  
**Theg. c. 22.** vero Ludovicus collecto promptissime  
**23. 24.** exercitu in eum movisset, seditiosis in  
**Chro. Moiss.** diversa sparsis, Bernardus cum consociis  
**817.** sui deditionem fecit. Id anno octingen-  
 tesimo decimo septimo contigit. Anno  
 autem sequente Aquisgrani iudicio in  
 eos actum est, & quamvis Francorum  
 Conventus eos dignos mortis pronun-  
**Coint. an.** ciasset, Imperatori satis poenæ visum, si  
**818. n. 5.** reis oculi eruerentur. Ex hoc cruciatu  
 Bernardus post elapsam triduum extin-  
 ctus est, postquam regnasset annis qua-  
 tuor & mensibus quinque, ex quo eum  
 Carolus Magnus Avus suus Regem de-  
 clarasset. Episcopi tres ipsius seditione  
 impli-

impliciti a Confratribus suis depositi, & in Monasteria detrusi. Hi fuere Anselmus Mediolanensis & Wulfoldus Cremonensis, ambo Bernardi Subditi, & Theodulfus Aurelianensis, in Longobardia natus. Ludovicus Imperator, cum metueret, ne tres fratres sui adolescentes Drogo, Hugo, & Theodoricus ad simile facinus a quoquam impellerentur, rastos in Monasteria inclusit.

Sæculum IX.  
A.C. 818.

§. XXXVI.

*S. Eigil Abbas Fuldenfis.*

Sub idem circiter tempus Ratgarus Abbas Fuldenfis depositus. Is, nobilifirpe in Germania natus, Baugulpho S. Sturmii Successori anno octingentesimo secundo in Regimine Abbatiali susceptus, Monasterium mire ornavit & literas coluit. Sed cum aspera conversatione Fratribus invisum se reddidisset, jam anno octingentesimo undecimo Carolum Magnum adierunt, & oblato Libello supplici articulos plures contra Abbatem suum detulerunt. Inter alia querebantur; ipsum dies Festos abrogare, ut eo magis labor manuum augeretur, nulla commiseratione in senes & infirmos tangi, condere ædificia superflua, hospitem curam negligere, & in suscipiendis Novitiis, priusquam mores eorum probarentur, nimis esse facilem. Carolus

*vita Eigil.*  
*to. 5. Act. p.*  
*227. ibid.*  
*p. 260.*